

rabo, si prius exposuero, de quonam peccato hic agatur, et a quibusnam illud committatur.

**§. VIII.**

Hoc ex praecedentibus abunde liquet, quod de eiusmodi hominibus hic loquatur Apostolus, quorum reductio ad poenitentiam per Euangelii praeconium prorsus fieri nequit. Cum autem Euangelium, seu doctrina de salute hominum per Christum consequenda, vnicam demonstret viam ad veram fidem, veramque poenitentiam conf. *Rom. X. 17.* sequitur ut, qui per Euangelii adnunciationem ad poenitentiam reuocari non potest, ad eam prorsus adduci non possit, ergo de eiusmodi hominibus hic sermo est Apostolo, quos eo adducere prorsus impossibile est, ut veram agant poenitentiam; iam vero absque poenitentia datur nulla remissio peccatorum, ergo hic eiusmodi denotantur homines, qui numquam, neque in hac, neque in altera ista vita peccatorum suorum impetrare possunt veniam; et cum omnium peccatorum, si ab vnico isto, quod contra sanctissimum dei committitur spiritum, dilacerferis, dari possit venia *Mat. XII. 32. 33.* in solis disco est positum, quod Paullus in loco isto, in quo explicando iam versor, eiusmodi homines nobis sifstat, qui peccatum in spiritum sanctum admittunt, hos describit ratione status praecedentis et praesentis, conf. §. IIII.

**§. X.**

Haec ut eo rectius capiantur, de loco illo Matthei iam excitato hoc monere lubet: dicitur ibi v. 31.  
πᾶσα ἀμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, οὐ δὲ τῷ πνεύματος βλασφημίᾳ ἐκ αφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, omne peccatum, et omnis blasphemia remittetur homini.